

niunt; ut eam ratam & sanctam habeatis. quid est hoc  
 aliud, quam velle, vos qui liberos, qui uxores, qui domos  
 familiasque vestras, qui vos ipsos beneficio reipublicæ ma-  
 gistratibus obeundis sustinetis, quando annum jam omnibus  
 in difficultatibus confecistis, alterum non habere annum,  
 unde inopiam levare & vitam tolerare vestram queatis?  
 An, quoniam divitibus ea lege parum iri nocitum vident,  
 reliquos, qui re angusta utuntur, non respiciunt? est ne id  
 alteros tanquam seipsum diligere? quo uno mediusfidius  
 præcepto omnis humana societas continetur. Ego vero cives  
 sic existimo: quod contra hostes nihil prospere gerimus, ad-  
 versa vero multa & misera singulis diebus nunciantur,  
 hoc ex fonte manare, quod ipsi inter nos non amamus,  
 neque quisquam alteri consultum vult: nemo, qui opibus  
 pollet, ei qui debilior est, prospicit. Dii profecto immor-  
 tales, qui acta & cogitationes nostras perspiciunt, irati  
 nobis infensique sunt, conatusque nostros frustra suscipi,  
 evanescereque omnes sinunt, hostibus virtutem & consilia  
 subministrant. Tria sunt omnino bac in urbe civium gene-  
 ra: unum locupletum atque potentium: aliud eorum, qui  
 sunt dignitate opibusque tenuissimis: mediae inter hos for-  
 tunæ tertium. Primum illud atque summum, propter po-  
 tentiam in tributa sœpe nihil dat, propterea quod nemo  
 principes viros cogere audet, qui plerunque in magistrati-  
 bus sunt, remquepublicam administrant. a mediis, quæ im-  
 ponuntur publice onera, multi magistratus exigunt: ab in-  
 finiis plane universi: nam ab iis minime resistitur. ita fit,  
 ut qui rei minus habent, plus in ærarium conferant; illi,  
 qui omnia possident, nihil tribuant, nisi cum libet: tan-  
 quam reliqui serviant, ipsi regnent atque imperent. Quod  
 si divites, fisco quæ debent, etiam dependant, nihil sit ne-  
 cessere curarum & laborum vestrorum obeundis magistratibus  
 mercedem reipublicæ condonari, ut in bellum pecunia sup-  
 peditet: ea summa omnis pro parte media tercentum auri  
 libras non exuperat. locupletum & potentium reliqua si ra-  
 tio subducatur, tantundem decies aut plus etiam confi-  
 cent. illa exigite, qui præpositi estis pecuniae publicæ magi-